Vnanimis primitiuæ Ecclesiæ cõsensus, de non scrutando diuinæ generationis Filij Dei modo.

CONFVTATIO CONTRARII COMMENTI.

Adiecta est,

ALBINI, *siue* ALCVINI, *Caroli Magni præceptoris Confeßio aut doctrina de* Deo, *cõpendiò exposita.*

Basileæ, Anno 1560.

INDEX TESTIMONIORVM.

Contrariæ sententiæ Index.

M. FLAC. ILLYRICVS CHRIstiano lectori, ab unico Seruatore s.

NOn tantum negligentia, sed & curiositas atq; audacia in scrutandis rebus diuinis, quæ à Deo patefactæ nõ sunt, aut quatenus non sunt patefactæ, impia ac perniciosa est. Nostri sanè primi parẽtes eam habuêre unicam ruinæ suæ pariter ac nostræ occasionẽ, quòd nõ cõtenti illis præclarißimis donis, ac cognitione, qua ad instar quasi Dei formati et ornati fuerũt: noluerũt insuper habere eandem notitiam boni ac mali, quam ipsemet Creator habet, atque ita Deo ipsi penitùs similes esse. Eadem impia curiositas cum omnibus alijs temporibus, tum etiã proximis seculis Theologiam corrupit, dum Sententiarij & Sarbonistæ nihil non scrutantur, rimantur & argutantur, sine omni mandato ac lucerna uerbi Dei.

Quare cum ista prophana audacia nunc denuò Ecclesiam inuadat, bonasq; mentes à rebus utilibus ac necessarijs, ad obscuras ac inexplicabiles in summis articulis abripiat: uolui aliquot patrum testimonia colligere, quibus grauißimè omnes à tali diuina Maiestatis scrutatione absterrerentur. Quod meum pium studiũ, ut omnes boni consulãt, ac in meliorẽ partem accipiãt, amanter oro. Vale in Domino. Ienæ, cal. Decemb.

TESTIMONIA VETERIS ECCLESIÆ DE *non ſcrutanda generatione Filij Dei.*

1



Iuus Irenæus lib.2.cap. 47.de Valentini ac Baſilidis hæreſi, circa diuinam filij Dei generatione̅,qui dicebāt eum Ennæa & Euthymeſi,id eſt cogitatione genitum,differens,inter alia ſic inquit:

Hæc autem cæcitas & ſtultiloquium inde prouenit uobis,quòd nihil Deo reſeruetis:ſed & ipſius Dei,& Ennææ,id eſt cogitationis eius & Verbi & uitæ & Chriſti natiuitates & prolationcs annunciare uultis:& has non aliunde accipientes.Sed ex affectione hominu̅:& non intelligitis,quia in homine quidem,qui eſt cōpoſitum animal,capit huiuſmodi dieere,ſicut prædiximus, ſenſum hominis & Ennæan hominis.Et quia ex ſenſu Ennæa:de Ennæa autem Euthymeſis,id eſt cogitatio:de Euthymeſi autem λόγ☉. Deus autem cùm ſit totus meus,totus ratio,& totus Spiritus operans,& totus lux,& ſemper idem & ſimiliter exiſtens,ſicut & utile eſt nobis ſapere de Deo, & ſicut ex Scripturis diſcimus, non iam huiuſmodi affectus & diuiſiones dece̅ter erga eum ſubſequentur. Porrò ſic eum

errorem

errorē mox in sequenti capite simul refutat & uituperat. Deus aūt totus existēs mens, & totus existens λόγος, quod cogitat, hoc & loquitur: & quod loquitur, hoc & cogitat. Cogitatio enim eius λόγος, & λόγος mēs, & omnia concludens mens, ipse est pater. Qui ergo dicit mentem Dei, & prolationē propriam menti donat, compositum eum pronunciat tanquam aliud quiddam sit Deus, aliud autem principalis mens existens. Similiter autem rursus & de λόγῳ, tertiam prolationem ei à patre donans, unde & ignorat magnitudinē eius. Porrò & lōgè λόγον à Deo separauit. Et Propheta quidem ait de eo: Generationē eius quis enarrauit? Vos autem generationem eius ex patre diuinantes, & uerbi hominis per linguam factam prolationem transferentes in uerbū Dei, iustè detegimini à uobisipsis, quod neq; humana, neq; diuina noueritis.

Irrationabiliter autem inflati, audacter inenarrabilia Dei mysteria scire uos dicitis. Quādoquidem & Dominus ipse filius Dei, ipsum iudicij diem & horam concessit scire solum patrem, manifestè dicēs: De die aūt illa & hora, nemo sit: neq; Filius, nisi Pater solus. Si igitur sciētiā diei illius filius nō erubuit referre ad Patrē, sed dixit quod uerum est: neq; nos erubescimus, quæ sunt in quæstionibus maiora secundum nos, refer-

uare Deo. Nemo enim ſuper magiſtrum eſt. Si quis itaq; uobis dixerit, quomodo ergo filius prolatus à Patre eſt? dicimus ei, quia prolationem iſtam, ſiue generationẽ, ſiue nuncupationem, ſiue adapertionem, aut quomodolibet quis nomine uocauerit, Generationem eius inenarrabilem exiſtentem nemo nouit: non Valentinus, non Marcion, neq; Saturninus, neq; Baſilides, neq; angeli, neq; archangeli, neq; principes, neque poteſtates, ~~niſi ſolus~~ qui generauit Pater, & qui natus eſt filius. Inenarrabilis itaq; generatio eius cùm ſit, quicunq; nituntur generationes & prolationes enarrare, non ſunt compotes ſui, ea quæ inenarrabilia ſunt enarrare promittẽtes. Quoniam enim ex cogitatione & ſenſu uerbum emittitur, hoc utiq; omnes ſciunt homines.

Non ergo magnum quid inueniunt, qui emiſsiones excogitauerunt: neq; abſconditum myſterium, ſi id quod ab omnibus intelligitur, tranſtulerunt in unigenitũ Dei uerbum, & quem inenarrabilẽ & innominabilẽ uocant, hunc quaſi ipſum obſtetricauerint primi & narrationib. eius prolationem & generationẽ enunciant, adſimilantes eum hominum uerbo emiſsionis, &c.

Hanc Irenæi refutationem etiam Epiphanius lib. 2. probat & commendat: ut manifeſtum ſit, ipſum quoq; idem ſenſiſſe.

2

Ex Cypriani expositione symboli Apostolorum.

QVomodo ſanè Deus Pater genuerit Filium, nolo diſcutias, nec te curioſius inſeras in profundi huius arcanũ: ne fortè, dũ inacceſſæ lucis fulgorẽ pertinacius perſcrutaris, exiguũ ipſum, qui mortalibus diuino munere conceſſus eſt, perdas aſpectũ. Aut ſi putas in hoc omni genere nitẽdum, prius tibi propone quæ noſtra ſunt: quæ ſi conſequẽter uolueris expedire, tunc à terreſtribus ad cœleſtia, & à uiſibilibus ad inuiſibilia præpara te. Expedi primò, ſi potes, & explana, quomodo mens, quæ intra te eſt, generet uerbum: & quis ſit in ea memoriæ Spiritus: quomodo hæc, cùm diuerſa ſint rebus & actibus, unũ tamen ſint ſubſtantia uel natura: & cùm è mente procedãt, nunquam tamen ab ipſa ſeparantur. Sed hæc quamuis in nobis & in animæ noſtræ ſubſtantia habeantur, tamen tanto nobis occulta uidentur, quanto & aſpectu corporeo inuiſibilia. De apertionibus requiramus. Fons quomodo ex ſe generet fluuiũ? quo autem ſpiritu rapidum fertur fluentũ? quod quidem cùm unum & inſeparabile ſit & fluuius & fons, tamẽ nec fons fluuius, nec fluuius fons intelligi aut appellari poteſt. Et tamen qui uiderit fluuium, uidet &

fontem. Exerce te prius in horum explanatione, & discute, si potes, quæ habentur in manibus, & tunc ad horum sublimiora ueniemus. Nec putes, quia te statim de terra suadeam ascendere super cœlos. Sed prius te, si placet, ad istud firmamentũ, quod oculis patet, educam. Et ibi, si potes, naturam huius uisibilis luminis discute. Quomodo ignis iste cœlestis generat ex semetipso splendorem lucis? Quomodo etiam producit uaporẽ? Et cùm sint tria in rebus, unum tamen sunt in substantia. Quod etsi hæc singula inuestigare potueris, scito adhuc diuinæ generationis mysterium tanto esse differentius & eminentius, quanto creator creaturis potentior, quanto artifex opere suo præstantior: quanto ille qui semper est, eo qui ex nihilo cœpit esse, nobilior. Credendus est ergo Deus Pater esse unici Filij sui, Domini nostri: non discutiendus. Neq; enim fas est seruo de natalibus domini disputare.

3

Augustinus de consensu Euangelistarum, lib. 2. cap. 1.

MAtthæus Euãgelista sic orsus est: Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Quo exordio suo satis ostendit, generationem Christi secundum carnem se suscepisse enarrandã. Secundum hanc

hãc enim Christus filius hominis est: quod etiam sæpissimè appellat, commendans uobis, quòd misericorditer dignatus sit esse pro nobis. Nam illa superna & æterna generatio, secundum quam filius Dei unigenitus est ante omnem creaturam, quia omnia per ipsum facta sunt, ita ineffabilis est, ut de illa dictum à Propheta intelligatur: Generationem eius quis enarrabit? Exequitur ergo humanã generationem Christi Matthæus.

4

Idem de uera beatitudine, Epist. 116.

QVomodo, inquis, potuit de solo Patre nasci filius, æqualis ei de quo natus est? Iam hoc enarrare non possum, & cedo Prophetiæ dicenti: Generationẽ eius quis enarrabit? Quòd si tu de humana generatione, qua per uirginem natus est, accipiendũ putas, ipse te discute, & interroga animam tuam, utrũ si in humana generatione defecit, audeat enarrare diuinã. Noli ergo, &c.

5

Idem in enarrat. Psal. 118.

QVid est hoc uerbum, quod ita lumen dicitur, ut lucerna sit? Ait enim: Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Nisi uerbũ intelligamus, quod factum est ad Prophetas, uel quod prædicatum est per Apostolos? Non uerbum Chri-

ſtum, ſed uerbum Chriſti, de quo ſcriptum eſt: Fides ex auditu, auditus autem per uerbum Chriſti. Nam & uerbum Propheticum lucernæ comparans apoſtolus Petrus: Habemus, inquit, certiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis intendentes, uelut lucernæ lucēti in obſcuro loco. Quod itaqꝫ hic ait, Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen ſemitis meis: Verbum eſt, quod Scripturis ſanctis omnibus continetur. Idem cap. 14 lib. 13. contra Maximinum: Diſtinguere autem inter illam generationem & hāc proceſsionem neſcio, non ualeo, non ſufficio. Ac per hoc, quia & illa & iſta eſt ineffabilis, ſicut Propheta de Filio loquens: ait, Generationem eius quis enarrabit? ita de Spiritu ſancto uerißimè dicitur, Proceſsionem eius quis enarrabit?

6

Idem, de tempore Serm. 1. de Natiuit.

LOngè autem ab illo ſumus, inquantum diſsimiles ſumus. Aſcēdit ergo ad eum ſua ſimilitudo, quam in nobis fecit & refecit, quam nondum perfectè palpitat infimus aſpectus, & ineffabilem candorem lucis æternæ non poteſt intueri. Cuius ergo fulgorem, mentis acies nondum capit, generationem eius quis enarrabit? Sed uerbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Hanc ergo generationem, cuius hodiernū

celebra-

celebramus diem, hanc in qua dignatus est uenire per Israël, & fieri Emmanuel nobiscum Deus in carnis infirmitate, non nobiscũ in cordis iniquitate, accedẽs ad nos per id quod assumpsit ex nostro, & liberãs nos per id quod mansit in suo (uisitauit quippe Dominus seruos suos per moralem infirmitatem) hanc ergo generationem, cuius utcunque capax est humana fragilitas, &c.

7

Idem, in natali Domini Serm. 8.

PRoinde quod de illo propheta prædixit, Generationem eius quis enarrabit? de qua potius dictum sit, iudicare difficile est. Vtrum de illa, ubi nunquam natus, coæternum habet Patrẽ: an de ista, ubi aliquãdo natus, in qua ut fieret, iam fecerat matrem. utrum de illa, ubi semper natus est, qui semper erat? Quis enim enarrabit, quomodo natum sit lumẽ de lumine, & unum lumen utrunque sit, quomodo natus sit Deus de Deo, nec deorum numerus creuerit: quomodo uelut de re trãsacta dicatur quòd natus est: cùm tempus in illa natiuitate nec transierit, quò preterita esset: nec præcesserit, quò futura esset: nec præsens fuerit, quasi adhuc fieret, & perfecta non esset. Hanc ergo generationem quis enarrabit? cùm id quod enarrandũ est, supra tẽpora maneat: sermo autem enarrantis in tẽpore trãseat?

Idem,

8

Idem, in natali Domini, Serm. 9.

IDeo Filius, quia de Deo genitus est: & semper filius sine initio genitus, & tamē genitus. Et quomodo hoc intelligatur, audite. Expectatis à me: audite Prophetā per me: Generationē eius quis enarrabit? Multa dixerunt de eius generatione, sed ea quę de matre est. Cæterum, quomodo natus est de Patre in cœlo, quis potest explicare? quis potest enarrare, uel inuestigare? Teneamus nos ad istam humanam natiuitatem, per quam nobis Deus donauit gratiā.

9

Idem, de tempore, Serm. 10. in uigilia Pentecostes.

PAtrem autem cùm audis, agnosce quòd habet filium ueraciter genitum: quomodo possessor dicitur, qui aliquid possidet: & Dominus, qui alicui dominatur. Deus ergo Pater secreti, Sacramenti uocabulum est, cuius uerè filius & Verbum. Nec quæratur, quomodo genuit filium: quod & angeli nesciūt, Prophetis est incognitum. Vnde illud dictum est: Generationem eius quis enarrabit? Nec à nobis discutiendus est Deus, sed credendus. Sed ut breuiter dicamus: Sufficit nobis scire, quia genuit lux splendorem. Omnipotentem uerò ideo dicit, &c.

D. Gregorius

10

D. *Gregorius Nazianzenus de Theologia, lib. 3.*

QVomodo ergo genitus est? Vnum profectò restat tantùm, quod responderi rectè queat: uidelicet, filium Dei, utcunque natus sit, aliter atque homo solet, natum esse. Alioqui quid magni haberet Dei generatio, si cõprehẽderetur angustijs intellectus tui, qui tuam ipsius generationem uel in totum nescis, uel quãdam cognitionem eius adeò exiguã habes, ut dicere etiã sit pudor? Et tu putas adhuc te tibi per omnia cognitum, exploratũq;? Quin sudaueris satis, priusquàm inueneris rationem, qua sis primũ compositus, formatus, &c. EAS ERGO NOBIS EXPEDI, ET NON ADMODVM VACABIT IN DEI GENERATIONE PHILOSOPHARI. CERTE PARVM TVTVM EST HOC GENVS QVAESTIONIBVS INDVLGERE. Nam ut maximè generationem tuam cognoscas, non tamen, ut & Dei cognoscas, continuò sequitur. Si uerò ne tuam quidem ipsius intelligendo comprehendere potes, quomodo diuinam intelligendo poteris assequi?

Siquidem diuinam generationem intelligendo cõplecti, tanto est difficilius, quàm tuam: quantò Deum cognoscere operosius est, quàm hominem, &c. Quin potius missos facito istos tuos fluxus, istas diuisiones,

istas

istas sectiones. In primis autem peruersum disputandi studium de incorporea natura, perinde ac de corporea: & statim aliquid diuina generatione dignũ in mentẽ uenerit. Quomodo itaq; generatus est? Nam toties eandem cãtilenam non sine molestia cano. Dei generatio silentio est colenda: & sanè quod generatus sit, didicisse te, magnum quiddam fuerit. Verùm quomodo sit generatus, nosse, ne angelis quidem ipsis, nedũ tibi, datum esse concessero. Porrò si ab isto tuo Quomodo, nisi responso accepto, discedere non potes, respondeo, Sic generatum esse, ut nouit & qui genuit Pater, & qui genitus est Filius. Quod uerò his excelsus est, hoc nebula tegitur, ut ingenij tui cæcutientes oculos facilè effugiat.

11

Hilarius lib. 2. de Trinitate affirmans, Filij Dei natiuitatem inscrutabilem esse, inquit.

HAbet igitur natiuitatis huius uterq; secretum. Et si quis fortè intelligẽtiæ suæ imputabit, generationis huius Sacramentum non posse se consequi, cùm tamen & pater sit absolutè intelligendus, & filius: maiore istud dolore à me audiet ignorari. Ego nescio, non requiro, & consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, angeli non audierunt, secula non tenent, Propheta non sensit,

ſenſit, Apoſtolus non interrogauit, Filius ipſe non edidit. Ceſſet dolor querelarum. Nam te, quiſquis es qui hæc requiris, non reuoco in excelſum, non in amplitudinem tendo, non deduco in profundum. Nónne æquanimiter ignorabis creatoris natiuitatem, ignorans originem creaturæ? Hoc ſaltem requiro, ſentis ne te genitum, &c.

Hæc ſi potes enarrare, &c. Audi Filium imaginem, ſapientiam, uirtutem, gloriam Dei: & intellige per Prophetam clamantem Spiritum ſanctum: Generationem eius quis enarrabit? Et obiurga Dominum teſtantem: Nemo nouit Filium niſi Pater, neque Patrem quis nouit niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Et inſere te in hoc ſecretum: Et inter unum ingenitũ Deum, & unum unigenitum Deum, arcano te inopinabilis natiuitatis immerge.

Idem & initio tertij Libri dicit: Filium Dei eſſe inenarrabiliter & incomprehenſibiliter genitum.

12

D. Baſilius in quadam oratione de ijs quæ in diuinitate ſcrutanda non ſint agens, hæc de generatione filij, inquit.

TV uerò iactas, quòd illa Deitatis cognoſcantur, quæ tu tuo impudenti ore profers. Aut ex præcedentibus non intelligis menſuram

mensuram cognitionis? Quid cognoscimus Dei? Oues meæ uocem meam audiũt. Vide quomodo cognoscitur Deus, ex eo quòd nos audimus mandata ipsius, ex eo quod audientes facimus. Hæc est cognitio Dei, seruare mandata Dei. Quomodo non impertinẽs curiositas de essentia Dei? Non inquisitio rerum supermundanarum, non consideratio inuisibilium? Cognoscunt me meæ, & cognosco meas oues. Sufficit tibi scire quòd est pastor bonus, quòd posuit animam suam pro ouibus. Hic est terminus cognitionis Dei. Quantns autem sit Deus, & quæ mensura ipsius, & qualis secundum essentiam: talia periculosa sunt interroganti, dubia uerò apud interrogatũ. Silentium autem talium medela est. Meæ oues meam uocem audiũt, dixit: non, inquirũt: hoc est, non negligenter transmittunt, non contentiosi sunt. Audiuisti filium? Ne mihi MODOS GENERATIONIS proferas: neq; ipse à ME exigas: neq; snb causarum RATIONEM contrahe ea, quæ nulli causarũ rationi subiacent: neq; per fissurã diuide, quod est coniunctum. Propterea anteuertens te Euangelista præmuniuit. Audisti nuper (scilicet in oratione, ubi dicitur, cur Filius uocetur uerbum) & sanè audis, In principio erat uerbum: ut ne filium fœtum humanum putes, ex non existẽte productũ esse. Verbum
tibi

tibi dixit,propter affectionis abſentiã.Erat tibi dixit, propter temporis remotionem. Principiũ tibi dixit,quò genitum Patri connecteret. Vidiſti quomodo ouicula obediẽs uocem Domini audit?

14

Chryſoſtomus ſuper Matthæum.

QVid igitur ad penetranda interiora feſtinas? Nec dum benè omnia quæ foris ſunt,conſideraſti.Neq; enim nunc tibi ipſam generationẽ Domini conor exponere,imò uerò nec cùm iſta narrauero. Eſt enim inexplicabilis tota,neq; ulli prorſus effabilis: & hoc tibi ante me Eſaias propheta denunciat.Siquidem ipſius prædicans paſsionem, & plurimam pro toto orbe terrarum, piiſſimamq; curam, atque admiratus qui tum eſſet qui factus ſit,quóue deſcenderit, maximo ſono uocis exclamauit & dixit: Generationem eius quis enarrabit? Verùm nobis non de diuina generatione nunc ſermo eſt, ſed de hac inferiore, quæ in terra facta eſt, quæq; teſtibus celebratur innumeris.Sed ſuper iſta quoquè , prout accipientes ſancti Spiritus gratiam potuerimus effari,ita profectò narrabimus. Neque hanc enim perſpicuè ſatis explicari poſsibile eſt: quippe cùm ſit etiam ipſa maximè ſtupeſcenda.

14

Chrysostomus super Matth. cap. 1. Homilia. 4.

NIhil enim, inquit, noui amplius, quam à sancto Spiritu factum esse quod natum est. Erubescãt hoc loco, & cõfundantur omnes qui superiorem illam generationem temeraria curiositate rimantur. Si enim istam quæ mille celebrata testibus, & ex multis est prædicata temporibus, quæ oculis inspecta, manibusq́ cõtrectata est, interpretari tamen nullus potest: quem cumulum non excedũt furoris, qui ineffabilem illam generationem Dei humanis uel cogitationibus inuestigari putant, uel uocibus indicari? Non enim Gabriel archangelus, non Euangelista Matthæus, amplius huic quippiã significare potuerunt, nisi tantummodo quòd esset ex Spiritu. Qualiter uerò ex Spiritu, & quonam modo, horum certè nullus exposuit: neque enim erat omnino possibile.

15

In libro Ambrosii de fide, ad Gratianum.

NEque enim angustis sermonibus nostris immensæ magnitudinem possumus diuinitatis includere, cuius magnitudinis nõ est finis. Namq́ hominis generationem si definire contendas, tempus ostendis. Generatio autem diuina supra omnia est, latè patet, supra

ret, supra omnes cogitationes ascendit & sensus. Scriptum est enim, &c.

Quæro item abs te, quando aut quomodo filium putes esse generatum? Mihi enim impossibile est, generationis scire secretum. Mens deficit: uox silet, non mea tantùm, sed & angelorum: supra potestates, supra angelos, supra cherubin, supra seraphin, supra omnem sensum est. Quia scriptum est: Pax autem Christi, quæ est supra omnem sensum. Si pax Christi supra omnem sensum est, quomodo non est super omnem sensum tanta generatio? Tu quoquè manum ori admoue, scrutari non licet superna mysteria. Licet scire quòd natus sit: non licet discutere quomodo natus sit. Illud negare mihi non licet, hoc quærere metus est. Nã si Paulus ea quæ audiuit raptus in tertium cœlum, ineffabilia dicit: Quomodo nos exprimere possumus paternæ generationis arcanum: quod nec sentire potuimus, nec audire? Quid te ista quæstionum tormenta delectant? Incomprehensibiliter generatur filius: impassibiliter generat pater: & tamen ex se generauit, & ante omnem intellectum generauit Deus uerus Deum uerum.

16

Cyrillus super Ioannem, cap. 1.

SI enim in principio erat, quæ mens poterit unquam ultra illud ERAT conuolare?

Aut quando illud ERAT mente ita tenebimus, ut cogitationes nostras nō antecedat? Meritò igitur stupore perculsus clamat Esaias: Generationem autem eius quis enarrabit? quia sublata est à terra uita eius. Tollitur enim profectò à terra generationis unigeniti ratio, omnem enim mētem excedens, omnemq́ rationem humanā superans, ineffabilis est. Quomodo igitur factū, creatumq́ nonnulli asserunt? Cùm mens nostra ratione ac tempore creata, omnia facilè circumscribat: Generationem uerò unigeniti nullo modo comprehendere queat?

17

Idem in thesauro suo, lib. 1. cap. 5.

QVare si quis legibus corporis incorpoream subijcit naturam, mentis suæ imbecillitatem accuset, quæ non potest incorporeæ naturæ cōuenientia intelligere. Nam si, quia ipsi æternam filij ab æterno Patre generationem intelligere nequeunt. Idcirco corporalibus incorpoream naturam legibus subijciunt. Cur ipsum quoq; Patrem non negant? quoniam quid qualisq́; natura sit, non potest quis dicere: Quare si fide, quæ super nos sunt, accipiuntur: est autē etiā super nos filij generatio (nullus enim ipsam enarrabit, ut Propheta quidam ait) fide quoq; ipsa suscipiatur: ita ut nullo modo de ipso cogitetur

tetur, quod non erat. Id enim imbecillitas humanarum cogitationum excogitauit.

18

ITem, Idem inquit: sine passione igitur ex Patre Filius effulsit, secundum ineffabilem & incomprehensibilem diuinæ generationis modum. Quod hic S. Doctor fermè centies repetit & inculcat.

19

Hieronymus super Esaiam cap. 53.

SEquitur: Generationem eius quis enarrabit? Quod dupliciter intelligitur. Aut enim de diuinitate eius accipiēdum est, quod impossibile sit diuinæ natiuitatis nosse mysteria, de qua ipse loquitur in Prouerbijs: Ante omnes colles generauit me. Iuxta illud quod alibi legimus: Quis cognouit sensum Domini, aut quis cōsiliarius eius fuit? id est nullus. Aut de partu uirginis, quod difficulter possit exponi.

20

Hieronymus super Matth. lib. 1. cap. 1.

LIber generationis Iesu Christi. In Esaia legimus: Generationem eius quis enarrabit? Non ergo putemus, Euangelistam prophetæ esse contrarium: ut quod ille impossibile dixit effatu: hic narrare incipiat: quia ibi de generatione diuinitatis, hic de incarnatione est dictum.

21

Lactantius de uera sapientia, lib. 4.

QVomodo igitur procreauit? primum nec sciri à quoquã possunt, nec narrari opera diuina: Sed tamen Sanctorum literæ docent, in quibus cautum est illum Dei filium, Dei esse Sermonem, &c.

22

Venantij expositione symboli Apostolorum.

PAtrem autem cùm audis, agnosce quòd habeat filium ueraciter genitum: quomodo possessor dicitur, qui aliquid possidet: & Dominus, qui alicui dominetur. Deus ergo Pater secreti Sacramenti uocabulum est, cuius uerè filius est uerbum, & speculum & character, & imago uiuens Patris uiuentis, in omnibus Patris similis, eiusdem naturæ, & in diuinitate genitus, genitori per omnia coæqualis. nec quæratur, quomodo genuit filium: quod & angeli nesciunt, Prophetis incognitum est. Vnde est istud dictũ: Generationem eius quis enarrabit? quam secretam originẽ, cum proprio filio nouit ipse solus qui genuit. Nec à nobis Deus discutiẽdus est, sed credẽdus est: qui in nobisipsis nescimus quod sapimus.

23

B. Bernhardi, Sermone 53.

SIcut de Christo duo sunt, unum nobis incognitum, sed generatio diuina, de qua

ſcriptum eſt, Generationem eius quis enarrabit? Alterum cognitum, ut generatio uel opera humana: ita etiã de Spiritu ſancto, &c.

24

Euſebius lib. 5. demonſt. Euangelicæ.

DE ijs quæ ad primam Dei filij generationem pertinent, nihil ſanè habeamus amplius quod dicamus aut cogitemus, quàm illud: Generationẽ eius quis enarrabit? Quòd ſi quis ulterius progrediens, eò prouehatur audaciæ, ut quæ nulla prorſus intelligentia comprehendi poſſunt, ea uiſibilibus & corporeis exemplis aſsimilet, &c.

25

Ephrem lib. ad eos qui naturam filij Dei ſcrutari uolunt, cap. 1. pag. 122.

SI ſcrutari pergas ſubſtantiã medici, curioſitati tubæ nullus aditus, nullus trãſitus, nullus exitus patet. Quicũq; enim eiuſce ueſtigationis iter incedere nititur, cõtinuò uia illi omnis occluditur, & ante ſe nihil niſi deſerta loca & inuia conſpicit, nullam prorſus habentia manſionem aut requiem. Pelagus immenſum atq; infinitum eſt, unigeniti filij diuina Natiuitas: & ignis comburens eſt, diuinæ naturæ inueſtigatio.

26

Idem, eodem lib. & cap. pag. 125.

INfelix profectò, miſer atq; impudentiſsimus eſt, qui ſcrũtari cupit opificem ſuum.

Millia millium, & cẽties millies millena millia angelorum & archangelorum, cum honore glorificãt, trementes adorant: & homines lutei, pleni peccatis, de diuinitate intrepidè disserunt? Non illorum exhorrescit corpus, non contremiscit animus, sed securi & garruli de Christo Dei filio, qui pro me indigno peccatore spõte passus est, deq; ipsius utraque generatione loquuntur, nec saltem quòd in luce cæcutiant, sentiunt.

26

Athanasius in Serm. 3. contra Arianos, fol. 192.

NEq; quærendum est, cur non tale sit Dei uerbum, quale nostrum est: cùm Deus nequaquam talis sit, quales nos sumus: quomodo dictum est. Imò indecorum est quærere, quomodo ex Deo uerbum sit, aut quomodo sit Dei splẽdor, aut quomodo gignat Deus, & quis sit modus generationis Dei. Insani erit enim, qui talia audèret: quoniam rem ineffabilem, & propriã diuinæ naturæ, & duntaxat ipsi & filio suo cognitam, uerbis interpretari conatur. Simile est, ac si ijdem quærerent, ubi Deus, aut quomodo Deus sit, & quantus sit Pater. Sed ut talia sciscitari impium est, & eorum qui Deum ignorant: ita quoq; fas non est, ut de filij Dei natiuitate ad istum modum percunctationes facias, aut ad tuam naturam & imbecillitatem modificare studeas Deum, ac Dei sapientiam.

28

Damascenus de fide orthodoxa, cap. 2.

QVid autem sit diuina substantia, uel quo pacto ubiq; sit, & in omnibus, quomodo Deus ex Deo genitus est, aut processit, aut quomodo semetipsum exinaniuit unigenitus filius & Deus, homo factus ex uirgineis sanguinibus, alia quàm naturæ lege plasmatus, aut quomodo siccis pedibus super áquas incessit, & ignoramus, & eloqui non ualemus, &c.

29

Gregorius papa Rom. in 33. cap. Iob lib. 23. cap. 11.

PAter unigenitum cõsubstantialem sibi filium genuit. Et in eodem: Verbum Pater sine tempore genuit: Et quis dignè fari queat illam ineffabilem natiuitatem, quòd de æterno natus est coæternus: quod existens ante secula, genuit æqualem: quod gignente natus posterior non est.

30

Maximus Taurinensis episcopus, Homilia 1. in natali Domini.

DVas in Christo generationes legimus, Fratres charissimi: sed in utraq; incomprehensæ diuinitatis est uirtus. Ibi enim illũ ex semetipso genuit Deus, hic eum uirgo Deo cooperante concepit: ibi sine initio, hic sine exemplo. Ibi natus ut conderet uitam,

hic factus ut tolleret mortem. Ibi Patri natus, hic hominibus procreatus. Illa natiuitate hominem fecit, hac generatione hominem liberauit. Vtranque, fratres, generationem eius non posse narrari, sententia hac una complectitur. Illa enim est ante hominem, ista supra hominem: illa incogitabilis, ista mirabilis.

31

Idem paulò pòst.

ITaque non bis natus est Deus, sed ex duabus natiuitatibus, id est Dei & hominis, seipsum unigenitus Patris, atque sese hominem unum esse uoluit Deum Generationem ergo eius quis enarrabit? Fratres, generatio Christi si narrari non potest, credi potest.

32

Marius Victorinus Afer de generatione diuina.

MOdus igitur secundum ueritatem, & altior modus est, & omnibus diuinior. Quis autem modus sit generationis, siue filietatis eius, siue iuxta significatos, siue alios modos, confiteor ego Deo, cuius hoc potentia factum est.

33

Leo 1. in Sermone 10. in solennitatem natiuitatis Domini.

DOmini, Saluatorisq; nostri natiuitas, nõ solum secundum deitatem de Patre, sed etiam secuudũ carnem de matre, ita facultatẽ humani excedit eloquij, ut meritò ad utrũq; referatur, quod dictum est, Generationem eius quis enarrabit?

34

Testimonium Lutheri, in libro de tribus symbolis Christianæ fidei sic inquit.

IDeo Theologi hanc natiuitatem filij, immanentem Natiuitatem nominãt: non excedẽtem ex diuinitate, sed ex solo Patre procedentem, & in diuinitate manentem. Ita & egressum Spiritus sancti nominant immanentem egressum, non procedentem ex diuinitate, sed ex solo Patre & filio, & manentem in diuinitate.

Id uerò quomodo fiat, fide apprehendendum est. Nam & ipsis angelis inscrutabile est, quidem perpetua lætitia illud spectant. Et quicunque ratione mysterium hoc metiri & cõprehendere conati sunt, seipsos præcipitarunt in exitium.

Nobis satis sit, certũ discrimen personarũ fide apprehendere posse: uidelicet, Quòd Pater à nullo, filius autẽ à Patre sit genitus, & Spiritus sanctus à Patre & filio ꝓcedat, &c.

Et paulò

hic factus ut tolleret mortem. Ibi Patri natus, hic hominibus procreatus. Illa natiuitate hominem fecit, hac generatione hominem liberauit. Vtranque, fratres, generationem eius non posse narrari, sententia hac una complectitur. Illa enim est ante hominem, ista supra hominem: illa incogitabilis, ista mirabilis.

31

Idem paulò pòst.

ITaque non bis natus est Deus, sed ex duabus natiuitatibus, id est Dei & hominis, seipsum unigenitus Patris, atque sese hominem unum esse uoluit Deum Generationem ergo eius quis enarrabit? Fratres, generatio Christi si narrari non potest, credi potest.

32

Marius Victorinus Afer de generatione diuina.

MOdus igitur secundum ueritatem, & altior modus est, & omnibus diuinior. Quis autem modus sit generationis, siue filietatis eius, siue iuxta significatos, siue alios modos, confiteor ego Deo, cuius hoc potentia factum est.

33

Leo 1. in Sermone 10. in solennitatem natiuitatis Domini.

DOmini, Saluatorisq́ꝫ nostri natiuitas, nō solum secundum deitatem de Patre, sed etiam secūdū carnem de matre, ita facultatē humani excedit eloquij, ut meritò ad utrūqꝫ referatur, quod dictum est, Generationem eius quis enarrabit?

34

Testimonium Lutheri, in libro de tribus symbolis Christianæ fidei sic inquit.

IDeo Theologi hanc natiuitatem filij, immanentem Natiuitatem nomināt: non excedētem ex diuinitate, sed ex solo Patre procedentem, & in diuinitate manentem. Ita & egressum Spiritus sancti nominant immanentem egressum, non procedentem ex diuinitate, sed ex solo Patre & filio, & manentem in diuinitate.

Id uerò quomodo fiat, fide apprehendendum est. Nam & ipsis angelis inscrutabile est, quidem perpetua lætitia illud spectant. Et quicunque ratione mysterium hoc metiri & cōprehendere conati sunt, seipsos præcipitarunt in exitium.

Nobis satis sit, certū discrimen personarū fide apprehendere posse: uidelicet, Quòd Pater à nullo, filius autē à Patre sit genitus, & Spiritus sanctus à Patre & filio ꝓcedat, &c.

Et paulò

35

Et pauló pòst.

ISta sunt discrimina personarum in Euangelio nobis tradita. Si quis præterea aliquid amplius cogitare uolet, per me licet: Sed non aliud certius isti inueniet. Proinde hæc, quàm fieri potest simplicissimè retineamus, hisq́ue interim contenti simus, dum eò peruenimus, ubi ista non amplius audituri uel credituri, sed clarissimè conspecturi & cogituri sumus.

36

Luther in der ander predig/von der heyligen dreyfaltigkeit.

ABer pfuy dich an du schendliche vernunfft/wie können doch wir ellenden armen Menschen / darzů die wir nicht wissen / wie vnser eygen reden/ wachen oder schlaffen zůgehe / welche natürliche werck wir doch täglich treiben vnd üben / vnnd wöllen dennoch von Gott reden/wie es in seinem götlichen wesen stehe / one Gottes wort/ allein auß vnserm eignen kopff. Ist das nicht blindheit über alle blindheit/ das ein mensch/der nicht das geringste

werck/

werck/so er an seinem leibe täglich sie-
het/kan außsprechen/ sich noch vnder-
stehet das zůwissen / das außer vnnd
über alle vernunfft ist / vnd das allein
Gott selbst kan reden / ꝛc.

37

Item pauló póst.

WEnn also helt vns die geschrifft
für / daß der Herr Christus sey
Gottes Son von ewigkeit / vnnd des
vatters ebenbild/gleich gros/gewaltig/
weise / gerecht/ das nichts im vatter ist
von gottheit/weisheit krafft vñ macht/
es ist in im auch / vnd in dem heiligen
geist/der vom vatter vnd Son außge-
het. So es nun jemand wissen will/
wie es zůgehet/dem sage/es sey ein vn-
begrifflich wesen über alle Engel vnd
creatur/das man nicht mehr könne wis
sen/deñ vns die geschrifft anzeigt.

Falsò etiam quidam contrà citant Luthe-
rum ex Genes. 1. nusquã enim ille quicquam
tale claré affirmat: quin potius cõtrà uicinã
quandam Augustini sententiam, uocat hu-
manam cogitationẽ aut opinionem, quæ ta-
men

men ipſa adhuc multò tolerabilior hoc ſomnio eſt.

Confutatio contrariæ ſententiæ.

CONtrà uerò dicunt quidam, Generationem Filij Dei eſſe rem patefactam, & hominibus cognitã. & quidem fingunt, ſumpta occaſione ex initio perihermenias Ariſtotelis, quòd Deus ſemet cogitans, fingat quandam ſui idem, & ei ideæ ſubſtantiam ſuã cõmunicet, eaq́ imago aut idea ſit filius.

Hanc ſuam opinionem, quia ex Scriptura probare non poſſunt, ad quorundam Patrum teſtimonia confugiunt, quibus eam ornant. Dicunt enim, aſſerere eam Baſilium, Nazianzenum & Auguſtinum: quorum teſtimonia, ab ipſis recitata, ordine expendemus.

1 Primum: Baſilij uerba, quibus illi potiſsimum innituntur, ſunt hęc: Cur uerbum? Quo oſtendatur, quòd ex mente proceſſit. Cur uerbum? Quia citra affectionem aut paſsionem natus eſt. Cur uerbum? Quia imago eſt genitoris, totum in ſeipſo genitorem oſtendens, nulla inde Patre deducta, & perfectus ſecundum ſeipſum exiſtens, &c.

Hic primùm attentè obſeruetur, quòd ne uerbulum quidem hic de cogitatione Patris audiatur, quomodo ille ſemet intuendo ideã quãdam ſui, aut imaginem fingat, & illi ſubſtan-

ſubſtantiam communicet, &c. Res eſt manifeſta, crucifigant alioqui & torqueant illa uerba, quoquo modo uolent. Deinde pono caſum, quod tale quid expreſsiſsimè dicatur: Baſilius tamen plures cauſas huius etymologiæ recenſet, non unam, diuinans quæ'nam uideri poſsit eſſe commodiſsima: Non de una aliqua certè pronuncians, tanquam ita planè ſe res habeat, & non aliter, ſicut iſti certò affirmant, ſed plures recitans, relinquit lectori opinionẽ quam ſequi uelit.

Deniq; non proponit ſibi hoc, quòd uelit generationem filij enartare: ſed tantùm aliquam etymologiæ rationem nominis λόγου uerbi conatur diuinare. Poſtremò paulò pòſt in alia oratione hunc ipſum locum citans, damnat ſcrutationem modi generationis filij, inquiens: Ne mihi modos generationis proferas, neq; ipſe à me exigas, &c. Locus eſt ſuprà citatus. Diſertè ergo ſe explicat, quod non uoluerit hîc modum illius generationis diuinæ exponere.

2 Secundo citant Nazianzenum, qui tamẽ nihil planè eis patrocinatur. Hæc enim ſunt eius uerba: Filius dicitur λόγος uerbum: quia ita ſe habet ad Patrem, ſicut uerbum ad mentem: non tantùm, quia mens patiens uerbum, nihil patitur: ſed etiam quia perpetuò coniunctus eſt Patri, & quia nobis eius uoluntatem indicat.

Hic quo-

Hic quoquè nihil penitus dicitur de generatione per cogitationem sui aut alterius: sed tantùm affirmatur, ideo filium uocari Verbum, quia eodem modo se habet ad Patrem, sicut noster Sermo ad nostram mentem. Et quidem mox eam similitudinem Verbi diuini & nostri Sermonis in tribus rebus ostendit. Primum: Quia filius sine passione generetur, sicut & noster Sermo. Secundò, quia ita sit coniunctus patri. Postremò, quia ita uoluntatem eius ex ipsius sinu depromit, sicut noster sermo intima cordis nostri alijs expromit & explicat. Nihil ergo hic Naziãzenus penitus agit de generatione filij Dei per cogitationem, phantasiam, aut memoriam Patris. Quod autem nunquam Nazianzeno, ne in mentem quidem uenerit, scrutari imperuestigabilem Dei maiestatem, satis ex prolixissimo eius dicto suprà citato apparet. Quod diligenter, Christiane lector, legè & expende. Quo modo enim ipse id facere auderet, quod alijs tantopere interdicit, reprehendit ac detestatur?

3 Postremò citant Augustinum, qui etiam minus quàm hic eis patrocinatur. Solent autem Augustini uerba in hunc modũ citare: Mens est quasi parens, & notitia eius quasi proles. Mens enim cùm se agnoscit, noticiam sui gignit, quæ est imago sui. Tertius est amor,

est amor, qui de ipsa mente & notitia procedit, cognoscit se, & diligit se, &c. Quod dictum affirmant esse libro 9. de Trinitate cap. 12.

Ad hoc multa uerissima simul & solidissima responderi possunt. Primum enim nusquam ista uerba ita simul posita reperiũtur, sicut hic citantur: Quòd cap. 12. lib. 9. aut usquam in eo libro non sint, certum est. Dein de Augustinus plures similitudines Trinitatis diuinæ in rerum natura inuestigat. Primum in ipsa tota rerũ natura: deinde in anima, in memoria, in uoluntate ac intellectu: & postremò in mente, eius cognitione ac amore. Quas tamen nequaquã uult esse Trinitatis expressas imagines aut picturas, seu ipsam diuinitatem ita planè se habere: sed esse qualescunque tantæ maiestatis delineationes, humano ingenio excogitatas ac repertas. Quod ipsemet Lib. de Trinit. 9. præsertim in eoipso cap. 12. & lib. 14. cap. 20. expressè fatetur. Proinde iterum atque iterum uideamus, ne, quæ ille diuinat, nos pro certò ponamus. Quòd si uolunt probare ex Augustino pro certo, quòd filius cogitatione gignatur, quod tamen ille ne diuinãs quidẽ asserit: tum illud quoque asserant, quòd Spiritus sanctus, tertia persona amore procedat: quoniam & hoc habet istud ipsorum malè citatum dictum.

Postremò examinetur sanè iste ipse citatus

textus,tanquã genuinus Augustini. Quæro,an uerba Mens est quasi parẽs,& notitia eius quasi proles,loquãtur de diuina aut humana mente. Si de humana mente,quid hoc ad sacrosanctam Trinitatem? Si de diuina,dico esse planè impia,& prorsus blasphema. Nam prima persona, quam uidentur uelle appellari in hoc dicto mẽtem,non est quasi parens,sed reuera parens:nec secunda quasi proles, sed reuera proles, aut filius. Nihil ergo præsidij habere debet istud humanum commentum, ex falsò citata Augustini sententia.

Manifestum ergo hinc est, ista Patrum testimonia nihil planè patrocinari isti philosophico somnio de æterna filij Dei generatione per cogitationem. Nec uerisimile est,ulla alia usquã extare,quæ quidem alicuius momenti sint:quãdoquidẽ hæc sola tanquam primaria ac firmissima proponuntur.

Porrò si rem diligentius expenderimus, plurimæ eæq; longè grauissimæ causæ sunt, cur ista opinio ferenda non sit:præsertim, si pro certa proponatur,sicut ab istis simpliciter asseritur & defenditur.

Prima ratio.

Nihil extra uerbum Dei in Theologia docendum est,ne in minimis quidem,nedũ in summis Religionis nostræ capitibus, iuxta illud:Nihil addas,nihil adimas. Certum autem est,hãc sententiam de Filij generatione nusquam

nusquam in ſacris literis traditam eſſe: cùm quidem hoc tam admirabile myſteriū generationis filij haud dubiè libēter Prophetę & Apoſtoli propius contemplati fuiſſent, uobisq́ꝫ cōmonſtraſſent, ſi res patefacta fuiſſet. Quare abſtineamus nos quoq́ꝫ cum illis, ab hoc adiurando & arcano, atque adeò etiam ipſis Angelis & archangelis (ut Patres pronunciant) ignoto myſterio.

Secunda ratio.

Multa tetra, poſito hoc principio conſequentur. Nam quandoquidem tam ſecundæ ac tertiæ perſonæ notitia, aut (ut iſti uocant) cogitatio eſt ſubſtātialis, quàm primæ, cur non illarum quoquè cogitationes erunt hypoſtaſis ſeparata, ſicut iſti de prima fingunt? Item, ſi cogitatio primæ perſonæ, qua ſemet intuetur, eſt hypoſtaſis: cur non & ea, qua ſecundam & tertiam perſonā conſiderat? Atque ita ex hoc impio principio infinita perſonarum generatio (ſicut & olim Valentino, alijsq́ꝫ) multaq́ꝫ abſurda, conſequentur. Quare tollatur iſta innumerarum blaſphemiarum errorumq́ꝫ occaſio.

Tertia ratio.

Hoc idem principiū, eſt quaſi fons quidā errorum Poſtelli, Stenckfeldij & Oſiandri. Nam Oſiander clarè dicit initio ſuæ confeſſionis, quòd filius ſit quædam cogitatio aut conſultatio Patris. Verba eius hæc ſunt,

Gott hats von ewigkeit her bey sich beschlossen/dz er vns arme süne der nach dem fahl/durch dem gehorsam seins einigen son/vnsers lieben herren vnd heilands Jesu Christi/damit er das Gesetz für vns volkommenlich erfüllet/vnnd durch sein leiden vnd sterben/damit er für vnsere vnd der gantzen welt sünde volkummenlich genůg gethan hat/von der putt vñ flůch des gesetzs entledigen/vnd alle vnsere sünd vergeben/vñ das noch mehr ist/vns solchs lassen predigen/vnd so wirs gleuben/vns dardurch lebendig vnd gerecht machen wolle.

Solcher ewiger rath/fursatz vnd beschluß Gottes/ist in Gott/auch ein innerlichs wort/vnd ist Gott selbst/vnd eben den Gott/der do ist mensch wordē vñ ist Jesus Christus vnser herr/jtzo warer gott vñ mensch/dañ alles wz in gott von ewigkeit ist/dz můß gott selbst sein.

Re ergo iam ipsa apparet, istud esse initiū & uelut semen multorum errorum, eoq; ex Ecclesia modis omnibus explodendū, ac penitus tollendum.

Quarta.

Quarta.

Quia ualde accedit ad Samosatenianiſmum & Seruetianiſmum. Nam illi, teſte ipſomet Philippo, ſenſerunt & ſentiunt, filium eſſe quandam cogitationem Patris: iſti uerò dicunt, cogitatione Patris generari. Quæ uicina ſunt: & poteſt iſtud principium, in noſtris eccleſiis confirmatum, gradum quendã facere illi errori, iam quoque in multis locis graſſanti, præſertim adueniente Turco, qui Samoſatenum & Seruetum ſequitur.

Quinta.

Quia haud ſcio, an fas ſit Deo tribuere cogitationẽ, etiamſi Scriptura, humano more loquendo, ei & cogitationem & pœnitentiam tribuit. Omnis enim cogitatio & ratiocinatio eſt quædã ueritatis inquiſitio. Iam, Deus nõ inquirit ueritatẽ: ſed eam in promptu ſemper habuit, & habet. Sic dicimus: Viros ingenioſiſsimos & prudẽtiſsimos non diu cogitare, quia citò inueſtigatam ueritatẽ aut concluſionem reperiunt. Videndum ergo iterum atq; iterum eſt, ne ea Deo tribuantur per ſtultam philoſophiam, quæ ei non propriè conueniunt.

Sexta.

Quia ſi uera ſunt quæ iſti dicunt, quòd filius ex intelligẽte parte naſcitur, & Spiritus ex uoluntate: ſequetur, illas partes in Patre quaſi diſtinctas eſſe, ex quibus diſtinctæ perſonæ oriũtur; ſicq; efficient Deum corporeũ.

Sequetur etiam, filiũ non totius Patris imaginem esse, sed tantũ intelligentis, ex qua natus est. Sed hoc est contra Scripturam.

Septima.

Quia si illa cogitatio aut notitia Patris qua semet nouit aut intuetur, quæ eius summa sapiẽtia est, ab eo separabitur, & dicetur esse secunda persona: relinquetur prima sine cogitatione ac notitia, atq; ita euacuabitur seu tolletur. Nam quid est persona sine propria intelligentia? Non certè cõueniet ei personæ definitio. Nam quod filius aliquãdo dicitur sapientia Patris, ideo sic uocatur, quia per eum Patris sapiẽtia in creatione, doctrina, & redemptione, mũdo innotuit: nõ quod Pater non sit per se sapiens, filius per se sapiens, & S. spiritus. Sed dicet aliquis: Cur ergo Lutherus uiuẽs hanc opinionẽ non reprehẽdit? Respondeo: Imò ita sæpe & uehemẽter in scrutatores maiestatis diuinæ inuehitur, & hortatur ut cõmunib. ac in Scriptura traditis sentẽtijs cõtenti simus, ut uideatur studio huc respexisse, præsertim in tribus symbolis. Atq; ideo, quia non iudicauit esse uerã, nunquã ea uti uoluit, cùm quidẽ & ipse ualde cuperet illustrare articulũ Diuinitatis, ut ex eius uerbis Dauidis apparet. Sed causæ sunt plures, cur & hoc & multa alia tulit: Occupationes nimiæ, studiũ retinendi N. in officio: & quia sæpe Philippus sic se declarabat in lectionib. tanquã id nõ pro dogmate

quodam

quodã Christiano assereret. Sed pro uerisimili cogitatione aut opinione tantũ proponeret. Audio sanè etiã hoc anno eũ dixisse, Si cui hæc ratio etymologiæ nõ placet, cur filius uocetur λόγος, quia sit per cogitationem genitus: ille sanè accipiat illam aliã, Quia sit persona quæ cũ patribus loquuta est. Vt, si nõ essent qui eũ perpetuò inflammarent, aliquid fortè, præsertim si plures unanimiter ei instarent, obtineri ab eo posset. Sicut & de Euangelio olim rectè declarauit suã sententiam: nunc innumeræ glossæ excogitãtur, & bella mouentur, tantũ ne quid ille cessisse uideatur, & ut noxius error omnino uincat & palmam obtineat. Recitaui hactenus plurima euidẽtissima & ualidissima testimonia totius primitiuæ Ecclesiæ, quibus partẽ expressè ista ipsa philosophica primorum illorum philosophõ theologorum opinio de filij Dei generatione per cogitationẽ dãnatur, partim lõgè grauissimè & uehementissimè omnis planè scrutatio & inuestigatio diuinæ illius filij Dei natiuitatis interdicitur ac cõdemnatur. Quæ quidem etiam ipsis angelis & archangelis planè incomperta sit.

Secundò, monstraui testimonia illa trium Patrum, quæ isti citant, nihil planè pro isto ipsorum cõmento confirmando facere, eoq́; frustrà & perperàm ab eis citari. Postremò ostendi, multa ac tetra, absurda & errores ex illo falso principio necessariò sequi. Quod

igitur ad me attinet, ego testor Deum cordium cognitorem, me hic nihil aliud sentire ac monere, quàm quod ista nō reuelatæ Maiestatis diuinæ scrutatio, sit multipliciter periculosa: eoq; & prohibita, & planè fugiēda.

Quòd si aliqui eā omnino retinere uolūt, retineāt sanè & doceant: sed pro incerta, pro humano commento & opinione: Vt sit iuxta Hieremiā & Paulum, ingens discrimen inter triticum & paleam, inter humana somnia & uerbum Dei, inter ea ubi habemus mandatum Dei, & ea quæ ex nostro capite, auß vnserem gůtduncken, proferimus.

O detestandam hominum audaciam. Nō possumus dicere, quomodo uel culex, uel pulex generetur: & illud ineffabile ac immēsum mysterium diuinæ illius generationis temerè scrutari, & perinde ac si oculis nostris coràm uidissemus, & contemplati essemus, omnia differere, & tantum non digito ante oculos monstrare audemus?

Dominus Iesus nos suo sancto Spiritu regat, ne supra id quod scriptum est, sapere conemur: sed sapiamus ad sobrietatem, Amen.

FINIS.

ALBINI, SEV ALCVINI, CAROLI MAGNI PRÆCEPTORIS, CONFESSIO aut doctrina de Deo, compendio exposita.

PAVLVS ROM. I.

Palàm fit ira Dei de cœlo aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, qui ueritatē in iniustitia detinēt: propterea quòd id quod de Deo cognosci potest, manifestū est illis. Deus enim illis patefecit, &c. in hoc ut sint inexcusabiles: propter ea quòd cùm Deum cognouerint, non ut Deū glorificauerunt, neq; grati fuerunt, sed frustrati sunt per cogitationes suas, & obtenebratum est insciēs cor eorum. Cùm se crederēt esse sapientes, stulti facti sunt, immutaueruntq; gloriam immortalis Dei per imaginē, &c. Quapropter tradidit illos Deus in cupiditates cordium suorū, &c. Experientia ipsa hoc idem iam de mendaci indurato & impœnitenti Antichristi eiusq; collusorum spiritu propalam testatur. Quare fugiat à uentura ira, qui uult aut potest.

CONFESSIO M. FLA. ILYRICI, DE SAcrosancta trinitate, contra Seruetianos & Stenckfeldianos, & alios seductores.



Dmonitus sum à quibusdam pijs uiris iam sæpius, ut quoniam tum alibi, tum & in primis in Polonia, præter alios errores ac fanatismos, etiam Samosatenianismus ac Seruetianismus paulatim serpit ac inualescit, ego quoq; aliquod scriptum contrà publicè opponerem. In qua parte, ac alijs puræ religionis unici nostri patrimonij tuẽdis, utinã mihi tam uires nõ deessent, ac autoritas, quàm mediocre studiũ Dei beneficio nõ deest.

Sed illud me semper cõsolatur, quòd, sicut Paulus præcipit dari eleemosynã non de eo quod non adest, sed quod adest, seu pro uiribus: ita etiam clementißimus ille pater cœlestis à nobis lucrum ac fœnus non de ijs ingentibus donis ac summa, quã nobis non est largitus, sed de ea quam nobis concredidit, in extrema die exiget. In ministro sanè illud tantum requiritur, ut sit fidelis. Quare, tametsi & præterita æstate breuiter in præfatione sacræ Historiæ Sulpitij Seueri, ut sibi omnes à dogmate Seruetiano cauerent, monui: tamen & nunc aliquid breuiter adijciam, quo & meam

fidem

fidem contra omnes seductores ac mendaces, calumniatoresq; confitear: & alios homines, ut sibi à noxijs erroribus caueant, admoneam. Est itaque deplorandum, quòd humana cæcitas tum ab innata malicia, tum à diabolo impulsa, multa audacißime cunctis temporibus in omnibus religionis partibus lusit, præsertim autem in sacrosanctæ Trinitatis mysterijs. Nam ut taceam Cerinthum & Ebionem, qui adhuc Apostolorum tempore fuerunt, mox post eos exorti sunt Valentinus, Marcion, Basilides, Saturninus, qui audacißimè de filij Dei generatione nugati sunt, Irenæo teste dicentes, λόγον esse à Deo creatore genitum ennia & enthymisi, id est cognatione: multa porro inde ac tetra extruentes. Hosce consequutus est Samosatenus, qui ab eis erroris sui semina accipiens dixit, filium esse ipsam cogitationem patris, à quo porrò alij & alij hæretici, præsertim Arius, errorũ suorũ origines hauserunt. Nostra quoq; ætate Seruetus eundem errorem, quòd filius sit quædam cogitatio patris, instaurauit. Et nunc denuò quidam eius sectatores paßim & præsertim in Polonia, eundem errorem inculcãt. Osiander quoq; periculose, imò & impiè locutus est, inquiens, filium esse illam ipsam cogitationem ac consilium patris de redemptione humani generis. Deniq; & Stenckfeldius in eandem fermè sententiam nugatur, dicens, Patrem loqui semet,

patrem & spiritum sanctum: spiritum sanctum lo qui semet, filium ac patrem. Quod ipse de quadã substantiali & interna actione seu generatione diuinarum personarum intelligit. Item dicit, filium esse rationem & cogitationẽ patris, imò & ipsam uitã ac uires patris, & deniq; Selbstant/ id est, hypostasin seu personam patris. Item dicit, filium esse illas ipsas rede vnd predigte/ sermones & conciones Christi, quas in hac uita est concionatus. Deniq; dicit non tantũ humanitatẽ Christi, sed & omnes eius actiones, paßiones, obedientiam ac merita, & quicquid omnino in hac uita egit aut passus est, iam esse factam diuinitatem aut diuinam substantiam. Cuiusmodi errorem, aut furorem potius, non credo unquam quenquam fanaticũ, aut etiã obsessum oblaterasse. Vide lib. de uerbo, fol. 130. & 136. Tales errores paßim sparguntur. Cõtra hasce blasphemias, quò ego quoq; communi doctrinæ nostrarum ecclesiarũ syncerè adhærens, uel breuiter meam fidem confiterer, uolui hanc D. Martini confeßiunculam, ex peruetustis exemplaribus descriptam, licet subobscuram, & Albini inclyti romanorum Imperatoris Caroli Magni præceptoris, in publicũ ædere. Præter hasce uerò ueterum confeßiones, quas etiam meas eße uolo, præsertim eam quæ Albini est, cõfiteor, ac corã Deo eiusq; ecclesia sanctè affirmo, me, quod ad doctrinam de unitate diuinæ essentiæ

& tri-

& trinitate personarum, patris, filij & spiritus sancti attinet, sequi communem sententiam nostrarum Ecclesiarum, quæ semper idem à Christo fideliter in ecclesiæ idem puraq; retenta est. Confiteor item me credere, esse unum uerum ac uiuentem Deum, & tres diuinitatis personas; patrẽ, qui ab æterno filium sibi coessentialem, æqualem, & omnipotentem genuit: filium ab æterno à patre genitum splendorem, characterem, & uiuam ac consubstantialẽ imaginem patris, & spiritum sanctum, à patre & filio æqualiter procedentem.

Omnes tres personas confiteor esse cõsubstantiales, coæternas, & æqualis omnipotentiæ, unum unicum uerũ, uiuentem ac omnipotentem Deum ccreatorem cœli & terræ, omniumq; uisibilium & inuisibilium creaturarum. Et quia nunc periculum ecclesiæ potißimum à Seruetianis est, qui hypostasin filij negant, confiteor filium Dei Ioannis primo capite ita describi, ut primùm uocetur λόγος, sermo aut uerbum, ac simul diuina eius natura describatur, quòd sit persona seu hypostasis diuinitatis à patre diuersa seu distincta. Postea eius opus creationis, quod per ipsum omnia facta sunt, quæ sunt facta. Tertio, eius opus saluationis, quod in ipso erat lux ac uita hominum.

Quarto, eiusdem incarnatio, cum λόγος seu uerbum caro factum, uerus homo simul ac uerus Deus in una persona & duabus naturis non cõ-

mixtis, nec distractis, sed coniunctis existens, nostram redemptionem ac salutem per suam exinanitionem, obedientiam, paßionem ac mortem peregit. Hæc est uera ac salutaris Christi ecclesiæ ac simul MEA de unitate diuinitatis & personarum trinitate fides et sententia, quantumuis contrà uarij hæretici, præsertim nunc Seruetiani, & nõ obscure Stenckfeldiani, alijq́; mendaces ac seductorij spiritus garriant, nugenturq́;. Quorum impuris mendacijs & corruptelis, si quis fidem adhibet, suamet sponte suoq́; malo errat ac seducitur. Taceo mendaces epistolas. Quare ego cum diuo Irenæo, uetustißimo scriptore, uolo concludere, qui contra hæreticos suæ ætatis de filij per cogitationem generatione blaterantes, sic inquit. Et propheta quidem de filio ait, Generationem eius quis enarrabit? Vos autem generationẽ eius ex patre diuinantes, et uerbi hominis per linguam factam prolationem transferentes in uerbũ Dei, iustè detegimini à uobis ipsis, quòd neq; humana nec diuina noueritis. Irrationabiliter autẽ inflati, audacter inenarrabilia Dei mysteria scire uos dicitis. Quãdoquidem & Dominus ipse filius Dei ipsum iudicij diem & horam conceßit scire solum patrem, manifestè dicens, De die autem illa & hora nemo scit, neq; filius, nisi pater solus. Si igitur scientiam dei illius filius non erubuit referre ad Patrem, sed dixit quod uerum est: neq; nos

erube-

erubescimus, quæ sunt in quæstionibus maiora secundum nos, seruare Deo. Nemo enim supra magistrum est. Si quis itaq; nobis dixerit, Quomodo ergo filius à patre prolatus est? Dicimus ei, quia prolationem istam, siue generationem, siue nuncupationem, siue adapertionem, aut quomodolibet quis nomine uocauerit generationem eius inenarrabilẽ existentẽ, nemo nouit, nõ Valentinus, non Marcion, neq; Saturninus, neq; Basilides, neq; Angeli, neq; Archangeli, nec principes, neq; potestates, nisi solus qui generauit pater, & qui natus est filius. Inenarrabilis itaq; generatio eius cum sit, quicunq; nititur generationes & prolationes enarrare, non sunt compotes sui, ea quæ inenarrabilia sunt, enarrare promittẽtes.

Hæc Irenæus, contra hæreticos suorum temporum: qui, cum ignorarent quomodo uel culex uel pulex generetur, de filij Dei generatione per enniam & enthymisim multa audacter blaterabant.

Sic & præclarum Christi organon Lutherus, piæ memoriæ, in Postilla maiori, super euangeliũ Dominicæ Trinitatis, nos grauißimè monens, ut parcè ac sobriè de sacrosancto ineffabilis Trinitatis mysterio philosophemur, nec quicquam (sicut & Paulus præcipit) supra id quod scriptum est, sapiamus, inquit.

Aber pfuy dich du schendliche hůre / (ich meine vnsere vernunfft) konnen wir

doch

doch nicht wissen was wir seindt. Kein Mensch ist je auff erden komen/der eigentlich hette können sagen/wie es doch zugehe/das ein mensch mit seinen augen sehen/vnd mit dem mundt reden vnd lachen sol/vñ wollen dennoch so freuentlich vnd vermessen sein/das wir von Gott vnd seinem Göttliche wesen/one alle hülff aus eignem kopff reden vnd disputieren wollen. Ist aber dz nicht ein torheit vber alle torheit? Ich kan des nicht vrsach anzeigen noch sagen/was sehen oder lachen sey/ vnd vnderstehe mich doch zů wissen/ vñ von dem zuredē/dauō ich gātz nichts weis/vñ allein aus Gottes wort dauon reden můs. Noch helt die Welt solches für eine grosse kunst.

Hisce igitur grauißimis admonitionibus, & ueluti oraculis Irenæi ac Lutheri præmoniti, adhæreamus simplici & usitatæ doctrinæ de diuinæ essentiæ unitate, personarumq; eius trinitate, ac illarum inter se discrimine: eamq; ex animo sequamur, nec nos mendacijs seductorum impuro ore quiduis blaterantiū, & sinceritatē Euangelij capileuonton seu adulterantiū, præsertim autē Seruetianorū, decipi, aliud'ue persuaderi patiamur, sicut arundines quouis uento (ut scriptura inquit) huc atq; illuc agitatæ. Dominus Iesus istis mendacib. suæ puræ doctrinæ corruptorib. impura ora obstruat, nosq; in sua ueritate cōseruet, Amen.

De mendacibus epistolis alias plenius ac clarius.

DOCTRINA ALBINI DE DEO.

SAtis benignè suscipio, quicũq; est, de huiusmodi rebus interrogãtis deuotionẽ. Sed magis laudo hæc prædicantis instantiã: quia parũ prodest discendi deuotio, sine docendi studio, iuxta sententiã Salomonis: Thesaurus inuisus & sapientia abscondita, quæ utilitas in utrisq;? Quocirca tota debet esse cura bene intelligendi in docendo, ne frustra laboret in discendo. Quia, sicut in Propheta legitur, qui multos erudiunt, sicut firmamentũ in perpetuũ fulgebunt claritate. Quæstio. Quomodo Deus uere sit unitas, & uere trinitas? Responsio: Vnitas in substãtia, trinitas in personis. Q. Quid sit propriũ uniuscuiusq; personæ in sancta trinitate? R. Propriũ est patris, quòd solus est pater: & quòd ab alio non est, nisi à se. Proprium filij, quòd à patre genitus est, solus à solo, coæternus et cõsubstantialis genitori. Propriũ est spiritus sancti, quòd nec ingenitus, nec genitus est, sed à patre & filio æqualiter procedens. Q. Quare Spiritus sanctus ingenitus uel genitus dici non debet? R. Quia si ingenitus diceretur, sicut pater, duos patres: si genitus, duo filij æstimari possent in sancta Trinitate. Q. Vtrum solus pater, aut solus filius, aut solus spiritus sanctus per se plenus Deus & perfectus dici debet? R. Vtiq; pater per se est plenus Deus. Similiter & filius plenus Deus, si solus nominetur. Et spiritus sanctus Deus plenus cre

ditur. Q. Si unaquæque persona per se Deus plenus dici potest, quare non tres Deos dicimus, patrem & filium & spiritum sanctum. R. Quia una substantia est pater, filius, & spiritus sanctus: nõ tres substantiæ. proinde unitas substantiæ prohibet id dicere uel credere. Q. Dum tres personas dicimus, partem, & filium, & spiritum sanctum, quare non tres Deos, nec tres omnipotentes, nec tres magnos, nec tres bonos dicere fas est? R. Quia Deus & omnipotens, & magnus, et bonus & æternus, substantialia nomina sunt, & ad se dicuntur. Ideo non licet ea plurali numero dicere, sed singulari. Et omne nomen quod substantiam Dei uel essentiã significat, semper singulari numero proferendũ est. Pater uerò et Filius et spiritus sanctus, relatiua sunt nomina: & ideo tres personæ rectè dicuntur. Q. Quomodo relatiua? R. Secundũ Dialecticã relatiua nomina sunt, quæ ad aliud aliquid referuntur: sicut dominus ad seruum, & seruus ad dominum: pater ad filiũ, & filius ad patrem. Prorsus cum dico patrem, filium simul significo: quia non est pater, nisi Filius cuius sit pater: item non est filius nisi pater, cui sit filius.

Q. Vtrũ Spiritus sanctus relatiuè uel substantialiter dicatur. R. Vtrunque relatiuè: Quia spiritus alicuius spiritus est, sed nõ sicut pater & filius, relationis regulæ tenentur in eo. Q. Quare æqualem nõ habet relationis regulam Spiritus sanctus, sicut

sicut Pater et Filius? R. Quia circumferri potest patris & filij nomen ad inuicē. ut si dicamus, pater, filij pater: et filius, patris filius. Nō ita duplex relationis circumuersio in nomine sancti Spiritus inueniri potest. Q. Qua necessitate accidit, ut ita non circumferri possit Spiritus sancti relatio? R. Rectè dicere possumus, Spiritum-sanctū patris & filij spiritū: sed conuerso ordine non possumus dicere, patrē spiritus sancti, sicut dicimus patrem filij, ne duo filij in sancta Trinitate æstimarentur. Item, non possumus dicere filium Spiritus sancti, sicut dicimus filium patris, ne duo patres in sanctæ Trinitate intelligantur. Dicimus itaque, Spiritum sanctum patris & filij, sine reciprocatione conuersionis nominum relatiuorum. Q. Vtrum inseparabilia sint opera sanctæ Trinitatis? R. Vtique. Quicquid Deus operatur, totum sancta Trimitas inseparabiliter hæc eadem operatur opera. Quia una est sanctæ Trinitatis operatio: sicut una est substantia, essentia & uoluntas. Q. Vtrū sancta trimitas in personis separabilis, siue inseparabilis dicēda est, dū alius est pater, alius filius, alius Sp. sanctus? R. Verè alius est pater quàm filius in persona, sicut filius alius est in persona quàm pater, et Sp. sanctus alius est in persona quàm pater & filius. Non tamē aliud ille uel ille in natura uel in deitate, aut in essentia. Nec enim patrē potest dicere, nisi filiū intelligas: nec filium

lium dicere, nisi patrē intelligas: nec spiritū sanctū, nisi intelligas cuius spiritus sit. Quocirca omnimodis inseparabilis est sancta Trinitas, sicut in operibus, sic etiā in personis, dicenda. Q. Si ad solā patris personā pertineat qđ dicitur, qui facit mirabilia magna solus: et Apostolus, qui solus habet immortalitatē? R. Nullaten⁹ ad solā patris pertinet personā, dū dicitur Solus Deus, siue in nouo siue in ueteri Testamento. Et qđ solus Deus, siue hoc siue illud habeat uel faciat: sed ad totā sanctā trinitatē, quæ est unus Deus omnipotēs, omnia faciens quæ sunt in cœlo uel in terra. Q. Quomodo beatus Ioānes euāgelista dicit, Deū nemo uidit unquā: & ipse Dn̄s in alio ait loco: Beati mundo corde, quoniā ipsi Deū uidebunt: & Apostolus inuisibilē Deū dicit? R. Videri enim potest Deus, id est, intelligi secundū suæ donum gratiæ, siue ab angelis, siue ab animabus sanctorū. Plenā uerò diuinitatis naturā nec angelus quisquā, nec sanctorū aliquis perfectè intelligere poterit: ideo incōprehensibilis dicitur Deus. Q. Quod sanctis summum promititur præmiū? R. Æterna Dei uisio.

Q. An æqualiter uidebūt, uel intelligēt? R. Nullatenus æqualiter oēs uel angeli, uel animæ sanctorum, Deū, uel nūc uidēt, uel post resurrectionē uidebūt: sed secundū donatoris dispensationē, & meritorū qualitatē. Vnusquisq; tn̄ sufficientē in eius uisione habebit beatitudinē. Nec plus quæret quā habet:

habet: nec se minus habere, quàm uolet, dolebit.

Q. An aliquid distet in Deo esse, uiuere, intelligere, posse? R. Nullatenus aliud est in Deo esse, aliud uiuere, uel aliud intelligere, uel aliud posse. Quia Deus eo ipso quo est uiuit, & eo quo uiuit intelligit, et eo quo intelligit põt et eo quo potest, est. Quia simplex deitatis natura unũ habet, est, uiuit, intelligit, & omnia potest. Non ita in nobis, dum aliud est in nostra natura uiuere, aliud intelligere, aliud posse. In Deo uerò hæc omnia unũ atq; idẽ sunt. Q. Vtrũ de Dei filio, sicut dicitur lumẽ de lumine, Deus de Deo, potest dici omnipotẽs de omnipotẽte, bonus de bono, magnus de magno, & cætera talia? R. Regulariter utiq; tenere debemus, quòd omnia naturæ nomina, æqualiter de filio dici possunt, sicut de patre: quòd omnia posũt dici illud de illo. Ideo sicut dicitur Deus de Deo, lumen de lumine: Ita dicendũ est, omnipotẽs de omnipotẽte, bonus de bono, magnus de magno, sed nõ ita in relatiuis. Q. Sed quomodo in relatiuis nominibus dicendũ est? R. Nõ possumus dicere uerbũ de uerbo: qa relatiuũ nomẽ est Verbũ, quod solus est filius: sicut dicimus Deum de Deo, quod nõ est solus filius. Nec imaginẽ de imagine, quia solus est imago: sicut dicimus lumen de lumine, quod non est solus filius, quia substantiale nomen est lumen.

Q. Nunquid aliud lumẽ pater, & aliud filius? R. Nequaquam aliud, sed unũ lumẽ est pater & filius,

filius, sicut una substantia. Ideo rectè dicitur lumẽ de lumine, sicut Deus de Deo: sicut unus est pater & filius, ita unũ lumen est. Q. Legimus Apostolũ dicentẽ, Christũ Dei esse uirtutẽ, & Dei sapientiã. Hinc intelligimus, in Dei nomine patrẽ, & in Christi nomine filiũ, sicut semper. Nunquid pater nõ habet in se sapiẽtiã uel uirtutẽ, nisi in filio, quẽ Apostolus sapientiã & uirtutẽ Dei nominauit? R. Plurimi ita Arianã destruũt impietatẽ, dicentes ipsi, impiũ esse credere unquã Deũ patrem esse sine sua sapiẽtia, aut sine sua uirtute. Sed melius est intelligere patrẽ esse sapientiã & uirtutẽ, sicut filiũ sapientiã & uirtutẽ, imò & spiritũ sanctum sapientiã & uirtutẽ. Non tamẽ tres uirtutes, nec tres sapiẽtias: quia sapiẽtia substantiale nomẽ est, sicut uirtus: nec aliud est in Deo esse, aliud sapere, aliud posse: sed unũ est in Deo esse, sapere, posse. Q. Vtrũ ad solã sancti Spiritus personã pertineat, dum Apostolus dicit, Deus charitas est, quæ dilectio patris & filijs esse legitur? R. Nullatenus ita Spiritus sanctus charitas intelligitur, quasi nõ sit pater & filius charitas. sicut spiritus sanctus est charitas, ita & pater est charitas, & filius est charitas: nõ tamen tres charitates, sed una charitas. Sed quia Spiritus sanctus donũ Dei propriè dicitur, & nullũ Dei donũ charitate maius est, imò sine eo nullũ donũ ad perpetuã hominem deducere poterit beatitudinẽ: proinde Spiritus sanctus

ctus propriè dicitur charitas. Q. Nũquid impij dona Dei habent? R. Habẽt utiq;, per eum qui illuminat omnẽ hominem uenientẽ in hunc mundum: In quo sumus, mouemur & uiuimus. Bona enim sunt dona Dei, eis qui bene utũtur illis. Ideo charitas singulare est in sanctis donũ, in qua filij Dei discernuntur à filijs impietatis. Q. Quare, si Deus totus ubiq; est, in cœlo dicitur magis habitare quã in terra? R. Quia maior cognitio est in sanctis angelis, animabusq; sanctorũ diuinitatis, cum sint apud Deũ in cœlis, quã in terris. Sicut enim in hoc mortali corpore quidã magis intelligunt diuinam substantiã, quidã minus: ita & in cœlo magis dicitur Deus esse, quàm in terra, quia plenius eiusdem substãtia intelligitur ab habitatoribus cœli, quàm terræ incolis. Q. Si una substantia est pater & filius et Spiritus sanctus, quare solus Filius incarnatus dicitur? R. Quia alia est persona Filij, alia Patris, alia Spiritus sancti: & sola siquidem persona Filij incarnata est, operante tamen eandẽ incarnationem tota sancta Trinitate, cuius opera sunt inseparabilia. Q. Dum in symbolo catholico cãtari solet, Dei filiũ de Spiritu S. & Maria uirgine incarnatũ, quare non dicitur filius spiritus sancti, sicut dicitur beatæ uirginis? R. Non utiq; sic de illo, sicut de illa natus est filius Dei. De illa siquidẽ, id est, sancta uirgine, natus est filius Dei, sicut de matre, non de illo, id est spiritu S. sicut de patre, ne duo

ne duo patres dicerētur in ſancta Trinitate. Q. Si una natura eſt Patris & Filij, & Filius incarnatus plenus eſt Deus et perfectus, quomodo non pater incarnatus eſt? R. Filius plenus eſt & perfectus Deus, qui ſolus incarnatus eſt, & homo factus eſt. Nam ignis una eſt ſubſtātia: ſed aliud in igne facit calor, aliud lux. Lux illuminat, calor calefacit: una tamē ignis natura utrūq; facit, & calorē & lucē.

Q. Ex qua natura dixit, Poteſtatem habeo ponendi animā meā? R. Omniū eſt, quæ in Chriſto geſta ſunt, operū autoritas ex diuinitate: tamē carni cōuenit dicere, poteſtatem habeo ponēdi animā meā, nō diuinitati. Diuinitas non dimiſit animam, poſtquam aſſumpſit eam in utero uirginis: Caro dimiſit, dum emiſit in cruce ſpiritum Chriſtus.

PRECATIO M. FL. ILLYRICI.

OMnipotens æternæ Deus, qui ad hoc unigenitum filiū tuū in mundū miſiſti, ut opera diaboli deſtruat: oro te per ac propter eundem mediatorē noſtrū, ut primum omnes errores, corruptelas & ſcādala ex Eccleſia tua tollas: Deinde, piam ei pacē, & contra ſummum filij tui hoſtem Antichriſtū & Turcam, concordiam miſericorditer reſtituas: Deniq;, eorum qui piam pacem ex animo non cupiūt, nefarios conatus & technas, tra mēdacia potēter retundas. Qui cum filio tuo ac Spiritu ſancto, in unitate diuinæ maieſtatis regnas, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

FINIS.